

ANIMADVERSIONES.

Quid scripta hæc remedia ægris exhibet, incipiat semper a minima dosi, augendo sensim.

Si vel minimus malus effectus ex usu similis remedii contingat, abstinendum est illico.

Si vero mali nihil superveniat, lenta & prudenti manu augenda est dosi, donec optatus observetur effectus; dein autem augere amplius dosim non est necesse, quamdiu idem effectus continuat.

Si quis usu & experientia novit aliud remedium, quod meis virtute simile, vel adhuc efficacius securiusque est, oro, adhibeat potius illud.

Si vero tale quid non superest, liberum cuivis manet: velle dare unum ex

meis, vel illud negligere, & ægrum relinquare fato.

Nemo cogitur, videat tantum quilibet, quid ei sua conscientia dicat, quid jubeat amor, quem proximo debemus.

Demonstravi, qua methodo hæc remedia possint ægris tuto exhiberi.

Patet ex experimentis, in quibusne morbis hæc prodesse videantur.

Hoc sufficit, & ulterior labor plura dabit.

Doctissimus *Max. Locher*, physicus in magno nosocomio ad *S. Marcum*, hæc mea remedia in pluribus ægris jam tentavit, sinistri inde nil unquam vidit, sed egregios observavit effectus; & dum plura experimenta collegerit, ea fideli calamo describet.

Clarissimus *Lebmacher*, vidit in febre intermittente, & in gonorrhæa inveteratissima profuisse meum pulverem ex saccharo & aconiti extracto, ubi jam a longo tempore omnia alia remedia incassum erant adhibita.

Georgius Hasenöbvl, solertissimus in nosocomio Hispanico physicus, suis maniacis præbuit extractum stramonii ad drachmam dimidiam & ad drachmam integram spatio viginti quatuor horarum, nulli nocuit, magnas in melius mutationes observavit.

An eæ autem constantes sint futuræ, tempus docebit.


Paravi interim campum, in quo nobis arandum laborandumque est, ut, morbo decumbentium, calamitates, & cruciatus minuantur, leventur, curentur.

118 CAPUT TERTIUM DE ACONITO.

Perhumaniter igitur omnes bonos medicos oro, velint ii unita opera meos conatus adjuvare, velint promovere opus, quod afflicto & ægrotanti homini adeo salutare futurum videtur.

Et licet præsens sæculum fors supercilioso oculo nostros intueatur labores, id nequaquam nos deterreat, erunt posterius, qui æquiori animo judicabunt, & meritas nobis agent gratias.





Augustin: Cypse Medic:
tud: delinet sculpsit
Viennæ, 1762.